

ribus et subditis, de qua disserit auctor n. 9, consulenda est constitutio S. M. Innocentii XII cui initium est *Romanus Pontifex*.

(108. Recte notavit auctor, n. 77, quod vicarius Urbis conferre debet ordines subditis sex episcopatum suburbicariorum, in quibus non sunt episcopi suffraganei, si proprius cardinalis episcopus non accedat ad suam diocesim, ibique habeat ordinationem. (109. Nuper vero auctor quidam affirmare non dubitavit quod cardinalis episcopus in Urbe residens, possit in ea ordinare subditos suos absque licentia vicarii Urbis, ex ineptissima illa ratione, quod scilicet capella palatii ejusdem cardinalis in Urbe existentis, censeatur per fictionem juris adherere ipsius episcopatu. At novam hanc opinionem, uti contrariam concilio Tridentino, constitutioni Alexandri VII incipient. *Apostolica*, tum inconcussa praxi imprevavit S. M. Benedictus XIV, ut ex ejus epistola typis data, quæ incip. *Nell' ultima udienza*, asservaturque in secretaria cardinalis vicarii, et quidem de mandato ejusdem Summi Pontificis Bened. XIV.

(110. De bulla *Speculatores*, quam refert auctor sub n. 11, vide Lamperez et Moreno, licet caute legendos, ob nonnullos errores in quos inciderunt, eosque notatos a Monacello, Riganti aliisque.

ADDITIONES CASINENSES.

Afferunt hic quoad ordinationes regularium constitutio sel. recordationis Benedicti XIV, de qua fit mentio sub n. 74 h. art. tenoris ut sequitur.

DE ORDINATIONIBUS REGULARIUM

« BENEDICTUS EPISCOPUS

« SERVUS SERVORUM DEI.

« *Ad perpetuam rei memoriam.*

« Impositi Nobis licet immerentibus Apostolici ministerii ratio postulat, ut ad tuendum ecclesiasticæ disciplinæ vigorem, non modo novas interdum leges provide constituamus; verum etiam veteres a prædecessoribus nostris sapienter statutas, si quidem fallacium rationum præsidio debitis fraudentur effectibus, novis et invincibilibus sanctionibus communiemus; si vero earum claritas pravus et captiosus interpretationibus involvi et obumbrari dignoscatur, easdem perspicuis apertisque declarationibus in propria luce collocemus:

« § 1. Sane, quæ olim de ordinationibus regularium controversia viguit, an scilicet regulares a quocunque catholico antistite indistincte ordinari possent, an vero id juris privative pertineret ad episcopum illius diocesis, intra quam sita est religiosa domus, quam regularis ad ordines promovendus inhabitat, providis Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutionibus et declarationibus jamdudum sublata fuit. In qua quidem controversia episcopi locorum ordinarii jura sua fundantes in generalibus canonum statutis, et in ipsis exemptionum privilegiis, quæ regularibus

indulta sunt, aiebant ipsorum ordinationes, utpote diocesanis episcopis expresse reservatas, neque spectare posse ad ordinarios eorum originis, quam regulares a se abdicant, dum sæculo nuntium remittunt, neque porro ad ordinarios beneficii, quoniam ipsi ad titulum beneficii non promoventur; proindeque unice spectare ad episcopos ordinarios eorum domicilii, nimirum illius diocesis ac loci in quo ipsi ordinarii commorantur. Contra vero regulares Apostolicis privilegiis innixi, quæ certis ordinibus recentius elargita, ac deinceps per viam communicationis ad omnes extensa fuerant, licitum sibi esse contendebant sacros ordines a quocunque catholico antistite, juxta eorum privilegiorum tenorem, pro arbitrio suscipere.

« § 2. Verum cum felicis recordationis prædecessor noster Gregorius Papa XIII per suam Apostolicam constitutionem, quæ incipit *In tantarum*, datam apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXXIII, Kalendis Martii, justis gravibusque de causis alteram constitutionem sui nostrique pariter prædecessoris S. Pii Papæ V, cujus initium est *Etsi mendicantium*, ad juris communis et sacri concilii Tridentini terminos reduxisset; eodem quoque anno in causa monachorum ordinis Carthusiani decretum edidit, quo ipsos ab episcopis diocesis, in quibus eorum monasteria respective sita sunt, vel nonnisi de istorum licentia, ab aliis quibusque episcopis ordinandos esse declaravit; quemadmodum legitur lib. I *Decretorum cong. Conc.*, pag. 75, a terg. dub.: « An nostri ordinandi obligentur habere expressam licentiam ordinarii in cuius diocesi sunt, pro ordinibus conferendis ab episcopo alterius diocesis: SS. Dominus Noster, etiam ex sententia sacre congregationis Concilii, declaravit obligari. »

« § 3. Contigit autem sub illius successore Sixto Papa V eandem quæstionem retractari instante universo ordine Fratrum Prædicatorum. Qua de re idem prædecessor, post maturum causæ totius examen in præfata congregatione Concilii habitum, constituit, licere superioribus regularibus litteras dimissoriales concedere suis respective subditis ad ordines suscipiendos; sed eas tamen diocesanis duntaxat episcopo directas, nec alteri unquam, nisi cum forte is a diocesi abfuerit, aut quatenus in diocesi exstiterit, clericorum tamen ordinationem non sit habiturus. Ita relatum habetur, lib. IV, prædictorum *Decretorum*, pag. 108: « Sanctissimus dominus noster Xistus V ex sententia congregationis, respondit regulares posse concedere dimissorias ad episcopum diocesanum, eoque absente, vel etiam præsentem et ordinationem non tenente, ad quemcunque, dummodo ab eo episcopo qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam. »

« § 4. Demum a sanctæ memoriæ prædecessore quoque nostro Clement. Papa VIII ad hujusmodi controversias perpetuo exstinguendas, sequens decretum editum fuit:

« De mandato sanctissimi domini nostri Clementis divina Providentia Papæ VIII, tenore præsentium mandatur omnibus et singulis quorumcunque regularium superioribus, ut de cætero observent et observari faciant ea quæ in decreto sacre congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor est talis. Congregatio Concilii censuit superiores regulares posse subdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requisitis, ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad episcopum tamen diocesanum, nempe illius monasterii, in cuius familia ab eis, ad quos pertinet, regularis positus fuerit; et si diocesanus abfuerit vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcunque alium episcopum; dum tamen ab eo episcopo qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus quo episcopus diocesanus vel abfuerit, vel nullas esset habiturus ordinationes. Verum cum a superioribus regularibus, episcopo diocesanis absente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentis diocesanis episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimentam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis, seu administrationis ac vocis activæ et passivæ privationis ac alias arbitrio ejusdem sanctissimi domini nostri Papæ reservatas penas incurrant. In quorum fidem, etc. Datum Romæ, die 15 mensis Martii 1596.

« § 5. Hoc emanato Pontificio decreto, eoque tam claris verbis concepto, jure sperandum videbatur hujus generis lites non amplius auditum iri: sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli episcopi ultra montes constituti contendere cœperunt necessarias esse regularibus dimissorias etiam ordinariorum eorum originis, quo possent ab episcopis aliorum locorum ad sacros ordines promoveri; ex altera vero regulares obtinentes, in præfato Clementis VIII decreto derogatum non fuisse Apostolicis privilegiis quæ eorum ordinibus, sive directe, sive per communicationem indulta fuerant, ut scilicet a quocunque catholico antistite ordinari possent, hujusmodi decreti vim et observantiam declinare se posse putarunt.

« § 6. Verum, quod attinet ad episcopos, ipsa congregatio Concilii die 28 Februar. anni MDCLIV, ut notatum reperitur libro XIX ipsius *Decretorum*, pag. 316, ita rescripsit: « Regulares volentes se promovere ad ordines, non teneri ostendere dimissorias ordinariorum propriæ originis, sed sufficere, ut observent formam præscriptam in decreto sancti memor. Clement. VIII. » Quod etiam amplissime confirmatum fuit in alio decreto edito die 17 Mart. MDCLXXIV *Decretorum* libro XXVIII, pag. 261 et sequentibus.

« § 7. Quod vero spectat ad regulares; cum

eorum præsumptum jus, una cum rationibus ab ipsis plenissime deductis in quadam congreg. particulari nonnullorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium a felicis recordationis prædecessore nostro Innocentio Papa XIII deputata, cui Nos in minoribus tunc existentes, nostram qualemcunque operam, pro demandato Nobis secretarii munere, contulimus, diligenter expensum et examinatum fuisset; cumque ad hujusmodi quæstionem definiendam, id potissimum visum esset in jure statuendum, an ad effectum eximendi regulares a præfati decreti Clementini observantia, sufficeret, quod privilegia suscipiendi ordines a quocunque ipsis concessa fuissent post concilium Tridentinum, a quo hujusmodi antiqua privilegia abrogata fuisse satis constat; an vero oporteret eadem concessa fuisse post ipsum Clementis prædecessoris decretum; ac præterea, an hujusmodi privilegia æque suffragarentur iis ad quos per viam communicationis extensa dicerentur, ac iis quibus directe et expresse indulta fuerunt; idem Innocentius prædecessor, audito præfate congregationis particularis consilio, decrevit satis esse ad supradictum effectum, quod hujusmodi privilegia post concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis præfato Clementino decreto posteriora non sint: dummodo tamen directe concessa fuisse constat, non vero in communicationem privilegium de uno in alium ordinem derivata asserantur, quemadmodum ipse Innocentius in suis Apostolicis litteris incipientibus *Apostolici ministerii*, die 30 Martii anni MDCCXXIII, datis ac deinde confirmatis a sanctæ memoriæ prædecessore pariter nostro Benedicto Papa XIII per alias similes litteras datas die 23 Septembr. anni MDCCXXIV quarum initium est *In supremo*, aperte declaravit, his verbis: « Quoties ergo regulares ad ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum congregationis Cardinalium Concilii Tridentini, interpretum a piæ memoriæ Clemente VIII prædecessore etiam nostro confirmatum die 15 Mart. 1596 quo sancitur ad episcopum diocesanum litteras dimissorias pro eorumdem ordinum susceptione a suis superioribus esse dirigendas, præterquam in casu quo diocesanus e diocesi abesset vel ordinationes non esset habiturus, quo etiam casu in litteris dimissoriis ad alium episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio, vel de prædicta episcopi diocesanis absentia, vel de ulla alia causa, videlicet quod ordinationes non sit habiturus; exceptis tamen, quoad prædicta, regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet catholico antistite ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per præsentem innovare intendimus. »

« § 8. Porro si aliqui vigilias laboresque suos non tam in extricandis inutilibus quæstionibus, vel forte in rebus profanis, et ab ecclesiastica professione alienis addi-

scendis consumerent, quam in studio sacramentorum legum, quibus ecclesiastica disciplina continetur, utiliter collocarent; ac nisi aliquibus arbitrium pro lege, præjudicata opinio pro ratione, atque in legum etiam clarissimarum interpretatione suus cuique sensus pro auctoritate esset, nec olim Nobis in nostro Bononiensi archiepiscopatu residentibus contigisset, ut regularis quidam ex ea urbe repente digressus, sui que superioris dimissorias ad episcopum finitimum deferens, tametsi nullo pacto docere posset, Nos clericorum ordinationem non habituros sacrum presbyteratus ordinem susciperet, nullaque interjecta mora, Bononiam ad primum sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur. Quam tamen intolerandam audaciam Nos ad canonicarum sanctionum rigorem exigere, atque etiam, servata pastoralis mansuetudine, vindicare non prætermisimus, ut videre est in monito pastoralis a Nobis tunc edito, inter impress., notif. 3, lib. II. Neque rursus ex quo universalis Ecclesiæ regimen, Deo sic disponente, assumpti fuimus, plurium episcoporum fratrum nostrorum querelæ ad apostolatam nostrum delatæ fuissent; qui nimirum non sine magno animi nostri dolore, apud Nos expostulare non desinunt, a pluribus sæpe regularibus in eorum diocesisbus respective commorantibus similia perpetrari in spreto ecclesiasticarum legum atque poenaliu sanctionum, quibus ipso facto adstringuntur (siquidem in authographo supra relati Clementini decreti distincte legitur *incurrant non autem quod falso non nemo asseruit, incurrant*), dum scilicet superiores regulares, qui subditis suis, non ad præscriptum ejusdem decreti dimissorias litteras concedunt suorum officiorum ac dignitatum et vocis activæ atque passivæ amissione multantur, ordinati vero suspensionis poenam, atque etiam, si in suscepto ordine ministraverint, irregularitatem incurrunt; ac denique antistites, qui ipsius manus imponunt, non facile effugiunt canonicas poenas adversus eos propositas, qui alienos subditos absque sufficientibus dimissoriis ordinare præsumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod, cum ex usu rerum intelligere possint, complures regulares non alia de causa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quam ut se subducant examini episcopi diocesani, cujus hac in re jurisdictionem aut nimium rigorem perhorrescunt, aliumque inveniant qui, vel nullo vel admodum levi præmisso examine, ordines ipsis imperliatur; quoties hujusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinæ synodi decreta delinquant. Ea siquidem sess. XXVII, cap. 12, *De reformatione*, sic statuit: «Regulares quoque, nec in minori ætate nec sine diligenti episcopi examine ordinentur, privilegii quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.»

«§ 9. Nos autem consueta Sedis Apostolicæ clementia uti volentes, libenter abstinemus a designandis aut nominandis hoc

loco regularibus de quorum excessibus in hoc rerum genere graves episcoporum querimoniarum ad Nos delatæ fuerunt. Quæcumque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admissa sunt, a districtioris iudicii inquisitione liberamus; quinimo omnes et singulos in hoc delinquentes, sive superiores regulares, sive regulares ad ordines promotos, sive antistites qui eos ordinarerint, a quibuscunque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis quas hac de causa respective antehac incurrerint, quibusve innodati forsitan existant, auctoritatis nostræ plenitudine ac de Apostolica benignitate, tenore presentium absolvimus et absolutos esse cense decernimus, et cum iisdem super quacunque irregularitate per eos forsitan, causa et occasione præmissis, quomodolibet contracta, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, eorumque exercitium, atque ad omnia et singula eorum respective religionum munera pari auctoritatis plenitudine dispensamus. De cætero tamen infra scriptas leges in posterum omnino observandas, motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione præmissa edicimus atque statuimus.

«§ 10. Quæcumque nimirum hac in re a præfatis prædecessoribus nostris Greg. XIII, Sixto V, Clemente VIII et Innocentio XIII in supra citatis ipsorum litteris seu decretis, statuta, mandata, definita atque sancita fuerunt, ea omnia et singula, motu, scientia et potestatis plenitudine præfatis, eorundem presentium serie confirmamus, roboramus et innovamus; atque ab omnibus ad quos spectat, seu quancumque in futurum spectabit, inviolabiliter observari præcipimus et jubemus; transgressores quoque omnibus poenis in præmissis contentis, aliisque per Apostolicas constitutiones, et per sacros canones latis atque statutis, cum effectu subjacere, easque ipso facto et absque aliqua declaratione incurrere decernimus; superiores nimirum regulares, eas omnes, quas, ut præfertur, supradictus Clemens VIII prædecessor constituit et sanxit; regulares autem, qui contra illius decreti præscriptum promoti fuerint, et antistites eos promoventes, canonicas poenas atque censuras, quæ adversus sacram ordinationem suscipientes ab episcopo, qui proprius ad hunc effectum dici et habere nequit, nec non adversus episcopos alienos subditos indebite ordinantes, in jure canonico et in constitutionibus Apostolicis statutæ habentur.

«§ 11. Præterea volumus atque decernimus, ut superiorum regularium dimissoriæ, quæ ideo ad alium antistitem directæ fuerint, propterea quod episcopus diocesanus extra diocesim commoretur, vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris et momenti, nisi illis juncta fuerit authentica attestatio vicarii generalis, vel cancellarii aut secretarii ejusdem episcopi diocesani, ex qua constet vel ipsum a diocesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per

ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. Hoc enim expresse declarari opus est, ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui cum privilegio gaudeant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut si quancumque ipsis placuisset ad ordines promoveri, non statim, ipsoque die ab ipsis designato voti compotes fierent, jam dici posset ordinationem ab episcopo non haberi proindeque alius episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset. Quod si aliquis antistites regularem virum in sua diocesi proprium domicilium non habentem solis ipsius superioris dimissorialibus litteris contentus, sine adjuncta præfata attestazione in forma probanti, ad ordines promoveri præsumperit; decernimus et declaramus hunc ipso facto incurrere in poenas canonicas adversus eos constitutas qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint.

«§ 12. Quemadmodum vero eorum ordinum regularium privilegia firma et rata esse volumus, quibus ab Apostolica Sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico antistite ipsius Sedis gratiam et communionem habente, ordinari valeant, dummodo hujusmodi privilegia post Tridentinum concilium et ipsis ordinibus nominatim atque directe, non autem per communicationem concessa fuerint; ita porro omnia similia privilegia, quæ aliis ordinibus ante præfatum concilium Tridentinum, ab ipsa etiam Apostolica Sede et sub quibuscumque tenoribus et formis, indulta sint, vel etiam post ipsum concilium non ipsis directe concessa, sed per communicationem ad eos extensa esse dicantur, iisdem auctoritate et tenore, nulla et irrita, omnique vigore ac robore ad effectum de quo agitur, penitus destituta et vacua esse volumus et statuimus. Decernentes hujusmodi privilegia nequaquam post concilium Tridentinum indulta cense, nisi, vel post ipsius concilii confirmationem reipsa fuerint concessa, vel, quatenus antea concessa et posterius confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes *in forma specifica* cum litterali veteris indulti insertione, ejusque expressa innovatione factæ dignoscantur; ac declarantes, alterius generis confirmationes, quæ *in forma communi* nuncupantur, nemini ad præmissum effectum ullo pacto suffragari. Quod vero spectat ad eorumdem privilegiorum usum et exercitium, monendi sunt ii, quibus eadem, juxta præmissa, pleno jure competere dignoscuntur, ut non nisi justa causa, nec extra debitas circumstantias, pro libito ipsis utantur, minime vero ad ostentandam duntaxat ipsorum privilegiorum singularitatem; quemadmodum aliquibus in more positum esse novimus, qui pridie illius diei, quo ab episcopo diocesano clericorum ordinationes publice habendæ sunt, ad alterius episcopi diocesim consulto migrant, moxque suscepto ibidem ordinationis munere, ad primum domicilium redeunt, idque se facere

aiunt, ut jurium suorum indemnitati consulant, quasi vero Apostolica privilegia, non nisi cum aperto episcopi diocesani contemptu, suam vim et robur habitura forent.

«§ 13. Denique tam venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos et episcopos, quam dilectos filios omnium regularium ordinum professores, quam maximo possumus Apostolicæ voluntatis studio, per misericordiam Dei nostri, et per charitatem sancti Spiritus hortamur in Domino, et obtestamur, ut tam in hoc negotio quam in cæteris omnibus, solliciti sint unitatem spiritus et sinceræ dilectionis concordiam servare. Meminerint regulares, quo loco Spiritus sanctus posuerit episcopos regere Ecclesiam Dei; quod ipsis a sacrosancta œcumenica Lateranensi synodo sub Leone X habita inculcatum fuit per hæc verba: «Eosdem insuper fratres in virtute sanctæ obedientiæ, ut eosdem episcopos loco sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita, et nostra, ac Apostolicæ Sedis reverentia, congruo honore et congruenti observantia venerentur.» Neque obliviscantur episcopi, regulares viros ipsis datos esse adutores in Dominicæ vineæ cultura; subdit enim eadem sancta synodus: «Ipsos quoque episcopos hortamur, ac per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut fratres ipsos affectu benevolo prosequentes, charitative tractent ac benigne foveant, etc., et tanquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes prompta benignitate recipiant.» Demum et episcopi et regulares simul animum advertant ad id quod ibidem subicitur: «Una est regularium et sæcularium, prælator, et subditorum exemptorum, et non exemptorum universalis Ecclesiæ, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides, et propterea decet eos, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis.»

«§ 14. Hæc profecto Christianæ veritatis et charitatis documenta, quum utrinque servata fuerint, omnibus in rebus, adeoque in hac etiam ordinationum materia, importunæ partium querelæ penitus conticescent. Neque enim regulares conqueri poterunt quod, recusantibus episcopis sacram ordinationem administrare, præterquam in temporibus ab Ecclesiæ statutis, eorum privilegia de ordinibus extra tempora suscipiendis effectu vacua remaneant; episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis regularibus facile invenient. Episcoporum autem cessabant querelæ, quod superiores regulares ad eludendam decreti Clementis observantiam, adventibus ordinationis temporibus, subditos suos domicilio moveant; eosdemque statim post susceptos ordines falsis de causis ad primum monasterium reverti jubent; siquidem regulares hujusmodi agendi rationem (quam et alias in foro externo, graviterque vindicatam fuisse, et in posterum directe coerendam fore noverint) tum a prohi viri honestate, et fide alienam, tum etiam debitæ erga sacros Ecclesiarum anti-

stites observantiæ contrariam esse, ipsi per se facile cognoscent.

« § 15. Præsentibus vero nostras litteras, et in eis statuta quæcunque, etiam ex eo quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præminentie, vel dignitatis existant, sive alias specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque causæ, propter quas eadem præsentibus emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, prætextu et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, et de Apostolicæ potestatis plenitudine sibi concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare, ullo modo posse; sed ipsas præsentibus semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quocumque spectabit inviolabiliter et inconcusse observari.

« § 16. Sicque et non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicæ Sedis prædictæ nuntios, aliosve quoslibet quacunque præminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

« § 17. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus privilegiis quoque, exemptionibus et indulgentiis, etiam in corpore juris clausis, aut litteris Apostolicis quibusvis personis, collegiis, locis, ordinibus, etiam militantibus, congregationibus, societatibus et institutis, aliisque quibuslibet specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibuscunque verborum tenoribus et formis; et cum quibusvis etiam clausulis et decretis etiam derogatoriis

derogatoriis, et irritantibus, in genere, vel in specie, etiam motu simili, et de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis; ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica et individua mentione, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones præsentibus pro plene et sufficienter expressis, et exactissime servatis, et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, ad præmissorum effectum, plenissime et amplissime, motu pari derogamus, et derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« § 18. Volumus insuper, et eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eadem præsentibus, et in eis contenta quæcunque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætereundum valeat, ipsas præsentibus, seu earum transumpta, ad valvas ecclesiæ Sancti Joannis in Laterano, et basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, curiæ generalis Innocentianæ in monte Citorio, et in acie campi Floræ, per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari et affigi, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos ad quos spectat seu spectabit in futurum, perinde afficere, et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ et notificatæ fuissent.

« Utque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

« § 19. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

« Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majori anno Incarnationis Dominicæ MDCCLXVI, Kalend. Martii, pontificatus nostri anno VII.

« D. card. PASSIONEI.

« J. datarius.

« Visa de Curia.

« J. C. BOSCHI.

« J. B. EUGENIUS. »

Loco + plumbi.

Registrata in secretaria brevium.

Publicat. die 4 Martii 1747.

Quoad ea quæ concernunt culpam et pœnam male ordinantium et ordinatorum.

SUMMARIUM.

1. Ordines absque speciali dispensatione, seu privilegio illicite, sed valide conferuntur, et suscipiuntur, aut extra tempora, vel ante legitimam ætatem, aut sine litteris dimissoriis. — 2. Quod illicite conferantur, et suscipiantur, ostenditur. — 3. Quod valide adhuc conferantur, et suscipiantur, demonstratur. — 4. Si episcopus ante ordinationem protestaretur se vere et absolute non habere intentionem ordinandi eos qui non habent legitimam ætatem, dimissorias, vel alia requisita necessaria, invalida esset illorum ordinatio. — 5. Adducitur, et solvitur instantia. — 6. Si vero dubium esset de vera et absoluta intentione habita in tali protestatione, vel de mutatione intentionis prius expressæ, tunc ordinatio saltem sub conditione esset reiteranda. — 7. Episcopus ordinans scienter aliquem ante legitimam ætatem, suspenditur a collatione omnium ordinum. — 8. Non est tamen ipso jure suspensus, sed solum per sententiam suspendendus. — 9. Episcopus sic suspensus a collatione ordinum, non est suspensus ab alio actu ordinum. — 10. Ordinati scienter ordinibus majoribus ante legitimam ætatem sunt ipso jure suspensi. — 11. Et si, durante tali suspensione, in eisdem ordinibus ministraverint, eo ipso irregularitatem incurrunt, et, ultra alias pœnas, possunt etiam privari beneficiis ecclesiasticis. — 12. Talis suspensio est perpetua, et tandiu durat, quandiu sic ordinati absolutionem non obtinuerint. — 13. Sic suspensi ob dolose acceptos sacros ordines, et facti irregulares ob ministrationem in ipsis factam, durante suspensione, solent recurrere ad sacram penitentiarum, cum delictum est occultum, quamvis tamen possint absolvi, et respective dispensari a proprio episcopo. — 14. Si autem delictum evadat publicum, causa devolvitur ad sacrum congregationem Episcoporum et Regularium. — 15. Episcopus scienter ordinans aliquem extra tempora a jure statuta sine dispensatione, aut privilegio, non est suspensus ipso jure, sed suspendendus est per sententiam, et privandus potestate conferendi ordines, quos illicite contulit. — 16. Episcopus autem sic suspensus a collatione ordinum, a quorum ordinum collatione censeatur suspensus. Vide ibidem sub eod. numer. — 17. Ordinati scienter in sacris extra tempora sine legitima dispensatione, seu privilegio, sunt de facto ipso jure suspensi. — 18. Sic suspensi, et consequenter ob ministrationem facti irregulares, si talis suspensio et irregularitas sit occulta, possunt absolvi, et respective dispensari ab episcopo. — 19. Si tamen sit publica, non possunt absolvi, et respective dispensari, nisi per Summum Pontificem. — 20. Episcopus ordinans scienter alienum subditum sine dimissoriis, seu consensu sui proprii superioris, est ipso facto suspensus per annum a collatione ordinum. — 21. Episcopus autem sic suspensus censeatur solum suspensus a collatione illius ordinis, quem male contulit, et aliorum majorum, sed non a collatione inferiorum illius. — 22. Ordinati scienter ab alieno episcopo sine dimissoriis, seu consensu sui proprii ordinarii, sunt suspensi ipso facto ab executione susceptorum ordinum, quandiu proprio ordinario videbitur expedire. — 23. Sic ordinantes, et ordinati sine dimissoriis proprii diocesanii, possunt insuper puniri aliis pœnis, quæ assignantur. — 24. Suspensio sancita contra ordinatos sine dimissoriis, non est reservata Papæ, sed proprio episcopo. — 25. Suspensio tamen sancita contra ordinatos cum falsis dimissoriis est reservata Summo Pontifici. — 26. Item Summo Pontifici est

FERRAR. V.

reservata suspensio lata contra eos qui, postquam permanserunt per quatuor menses in Urbe, faciunt se promoveri extra Urbem cum litteris dimissoriis proprii ordinarii. — 27. Item reservata est Summo Pontifici suspensio lata contra ordinatos ex sex episcopis cardinalibus prope Urbem cum litteris dimissoriis ab alio, quam a cardinali vicario. — 28. Ab irregularitate incursa ob administrationem in ordinibus sic male susceptis, si sit publica, dispensat solus Summus Pontifex; si autem sit occulta, dispensare potest episcopus. — 29. Episcopus scienter ordinans aliquem ad sacros ordines titulo sustentationis, ultra grave peccatum commissum, tenetur eidem sic ordinato providere de necessariis alimentis, donec beneficium ecclesiasticum consequatur. — 30. Et, ipso episcopo ordinatore jam mortuo, tenetur sic ordinato providere de necessariis alimentis capitulum, sede vacante et deinde novus episcopus. — 31. Imo si clericus sine titulo fuerit scienter ordinatus a pluribus episcopis, domicili videlicet et originis, tunc quilibet ipsorum tenetur in solidum sic ordinato providere de necessariis alimentis. — 32. Quinimo nedum episcopus sic scienter ordinans, sed etiam episcopus scienter dans licentiam alteri episcopo promovendi, vel certis et determinatis promovendis ad sacros ordines sine titulo, tenetur ipsis alimenta præstare. — 33. Si vero episcopus alienus ex generali commissione, et licentia episcopi diocesanii ordinationes habeat, et scienter ordinet aliquem sine titulo, tunc ad ipsi alimenta præstanda non tenetur proprius episcopus, sed alienus. — 34. Talis obligatio providendi de necessariis alimentis sic ordinatis scienter sine titulo incumbit episcopis solummodo, quando tales ordinati aliunde non habent, nec habere possunt suam sustentationem. — 35. Item talis obligatio incumbit episcopis solum, quando scienter sine titulo ordinant, vel concedunt aliis determinatam facultatem aliquas certas personas sic ordinandi, et sic ordinati bona fide, et absque dolo et fraude propria tales ordines susceperunt; non autem quando sic ordinati fuerint ipsi soli in culpa, et dolo. — 36. Si episcopus aliquem ordinet sine titulo sub pacto, et promissione, quod ordinatus non possit ex post ab ipso petere alimenta, tunc episcopus ordinans suspenditur a collatione ordinum per triennium, et sic ordinatus est perpetuo suspensus ab ordine recepto, donec a Summo Pontifice dispensetur. — 37. Si episcopus religiosum nondum professum, aut non nisi ad certum tempus, ordinet ad sacros ordines sub prætextu religionis, et absque titulo beneficii, vel patroni, tunc ipse est ipso jure suspensus per annum a collatione talium ordinum, et religiosus sic ordinatus est suspensus ab executione ordinum, donec beneficium ecclesiasticum sit adeptus, vel aliunde habeat, unde vivere possit; et si interim in ipsis ordinibus ministraverit, elicitur irregularis. — 38. Exciipiuntur tamen Patres Societatis Jesu, qui tria vota in societate emisissent, quia de licentia prepositi generalis possunt ipsi promoveri ad sacros ordines absque titulo, etiam ante solemnem professionem. — 39. Promoti ad sacros ordines cum falsis et fictis titulis, sunt ipso facto perpetuo suspensi absque spe obtinendæ dispensationis a Sede Apostolica, et subjacent adhuc majoribus pœnis arbitrio Summi Pontificis infligendis. — 40. Episcopus ordinans aliquem eodem die ad duos sacros ordines, secundum aliquos, est ipso facto suspensus a collatione utriusque ordinis, donec a Sede Apostolica absolutionem et dispensationem impetraverit; secundum plures alios non est ipso facto suspensus, sed solum suspendendus. — 41. Ordinatus eodem die ad duos sacros ordines, an sit suspensus solum ab executione ultimi ordinis, illo die recepti, vel ab executione omnium? — 42. Episcopus contereus ordines sacros absque celebratione missæ graviter peccat, sicuti et graviter peccant ipsos sacros ordines extra missam recipientes, et tam ordinans, tam